



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Auctarium. Sive Additiones Ad Viri Clarissimi Henr. Zoesii
J.V.D. Universum Jus Canonicum**

**Geismar, Justus Moritz von
Coloniæ Agrippinæ, 1691**

Ad tit. XVI. de Matr. contr. & c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62259)

facit Ecclesia Romana. Respondet ad primum, sufficere unumquemque esse ministrum Sacramenti respectu sui, non respectu alterius. Ad secundum sufficit intentio generalis faciendi id, quod facit vera Ecclesia Christiana quaecunque & ubi sit.

Laym. lib. 5. tr. 10. p. 4. c. 14. n. 3. Si matrimonio Catholici cum hæretica pactum adjiciatur, ut masculi patrem Catholicum, feminae matrem hæreticam sequantur, ait id impium & irritum esse.

AD TIT. XVI.

De matrimonio contracto contra Interdictum Ecclesie.

Impedimenta impediencia exprimuntur hoc versu:

Interdico. dies. crimen. sponsalia. votum.

Impedimenta impediencia ex crimine resultantia per diuturnam consuetudinem penitus sunt ablata, ait Sanius tom. 3. dist. ult. q. 8. n. 5.

Ad num. 1. in fine adde. Interdictum tripliciter intercedere potest. Per Legem, per Judicem, & per Parochum. Vide Gonz. ad cap. de muliere. h. t.

Ad num. 4. in fine adde. Quod tempore feriato prohibeantur tantum solennitates, non etiam ipse contractus matrimonii, inquit Laym. lib. 5. tr. 10. p. 4. c. 15. Videre est in Trident. Sess. 24. c. 10. de reformat. matrim. & c. Capellanus, supra de feriis. Consuetudo ta-

men videtur induxisse, ne matrimonio Parochus assistat, nisi necessitas urgeat.

Ad n. 5. in fine adde. Busenb. ex Lay. Navarr. Sanchez. addit pro impedimentis impediencia clandestinitatem; ubi Tridentinum non est receptum, omissionem benedictionis. De qua infra de secund. nupt. quæ debet fieri in templo à proprio Parocho, sine cujus licentia si quis faciat, manet ipso facto suspensus, donec absolvatur ab Ordinario Parochi, à quo benedictio erat accipienda.

Tertium. si contrahatur sine præviis denuntiationibus, quod ait esse etiam peccatum mortale. Post tertiam denuntiationem licet eadem die contrahere, non tamen differre ultra 4. Menses, ut declaravit Congregatio Cardinalium. Diurnale autem Romanum ponit 2. Menses. Alias debent repeti.

Ad num. 8. in fine adde. Objicies Cap. si verò 2. xxxii. q. 7. Qui insinuat solum adulterium ponere impedimentum impediens. Respondet Gloss. intelligendam esse de adulterio incestuoso.

Ad num. 7. in fine adde. Mulier, quæ machinata est in necem viri, ipso matrimonio & alterius spe privatur, maritus verò insidiatorem interficiens, ipsam uxorem dimittere valet, & eam mortuam cum alia contrahere. Gonz. ad cap. si qua 5. de divort.

* * *

* *

L

Ad